

resilire dantem, omitta arrha, quia plerumque omnis contractus intenditur fieri iusta consuetudinem quæ est in usu (1).

167. Notandum II. contractum venditionis perfici solo consensu, dominium vero rei non transferi nisi traditione; imo ne traditione quidem illud transfertur, nisi emptor solvat, aut saltem offerat pretium, aut præstet pignus, aut fideiussionem (vulgo dictam *pieggicria*), aut saltem exhibeat fides sive promissio; ut habetur ex *§. Venditæ instit. de rerum divis* (2), vide dicta n. 107.

168. Notandum III. quod cum emptio est conditionata, adimpleta conditione, contractus fit validus a tempore emptionis, ita ut fructus spectent ad emptorem, excepto si conditio remissa fuisset arbitrio emptoris (3).

169. Notandum IV. quod licet periculum et commodum rei plerumque spectet ad dominum rei, nihilominus in emptione rei determinatæ, licet res non sit adhuc emptori tradita, aut si est tradita, sed sine fide pretii (in quibus, ut supra dictum est, dominium restat penes venditorem), periculum tamen et commodum sunt emptoris, ut expressum est in sequentibus textibus, *§. Cum autem, 3. institut. de emptione, et vendit. l. Id, quod 7. de peric. et commod. ac l. Post perfectum, 1. c. eod. tit.* Excipitur tamen, si expresse conventum sit contrarium, aut si res non sit tradita, et venditor fuerit in mora, ne traderetur, aut si res sua culpa perit, aut deterior facta sit (4). Sed præter hos casus exceptos, sicut periculum rei spectat ad emptorem, ita ei debentur fructus illius (5). Et leges civiles oppositæ in hoc puncto reprobatae sunt a jure canonico, prout favorabiles lucro usurario, prout dicunt Salm. (6).

170. Dubitatur autem an venditor

(1) N. 794. v. quæritur hic. — (2) N. 795. et 796. — (3) N. 797. — (4) N. 798. — (5) Ibid. v. Ita. — (6) Tract. 14. c. 2. n. 47.

possit a principio convenire, ut fructus ipse percipiat, donec pretium solvatur; cum jam dominium translatum est rei traditione, et fide pretii? Nonnulli negant, sed communis et probabilior sententia affirmat cum Sanc. Mol. Bonac. Petroc., etc., quia tunc licite potest venditor sibi reservare dominium utile rei, usque dum pretium sit solutum (7).

171. Notandum V. si quis emit aliquid pecunia aliena, sed nomine suo, ex *L. Si eo, de rei vend.* res emptoris est? Excipiunt dd. si pecunia esset alicujus ecclesiæ, aut minoris, aut militis (8). Contra si quis vendit rem alienam, licet respectu rei invalida sit venditio, nihilominus acquirit dominium pecuniæ. Si ipse vero vendidisset mala fide, teneretur ad omnia damna emptori; si in bona fide, non tenetur nec ad damna, nec ad evictionem, sed tenetur restituere pretium emptori (cum res jam evictione ad dominum pervenisset), licet pactum intercesserit, ne ad evictionem aliquam teneretur, ut habetur ex *L. Emptorem, §. Qui autem, ff. de actionibus empt.* Excipiunt tamen, I. si pactum expressum intercesserit de non restituendo pretio; 2. si venditor in nihilo sit factus ditior, quia forte ille dono dedit pretium acceptum; 3. si emptor conscius erat rem fuisse alienam, aut alteri obligatam ex *L. Si fundum c. de evict.* Sed hoc procedit pro foro externo, cæterum in conscientia, si pretium in pœnam non est fisco adjudicatum, venditor semper debet illud restituere emptori (9).

172. Notandum VI. quod cum pretium taxatum est a republ. illi debent stare omnes, etiam Ecclesiastici, nisi accideret quod mutarentur circumstantiæ, et quod major civium pars, Superioribus scientibus, taxam non observaret (10). Taxa excepta,

(7) N. 798. v. Diximus. — (8) N. 799. — (9) Vide Castr. tr. 32 d. 5. p. 28. §. 1. n. 1. et Salm. tr. 14. c. 2. n. 31. cum aliis. — (10) l. 3. n. 803.

quælibet res habet suum pretium infimum, medium et supremum, et horum quodlibet est justum. In hoc advertendum 1. quod pretium judicatur juxta tempus traditionis rei, et locum ubi venditur. Advertendum 2. pretium rerum pretiosarum, et extraordinariarum habere majorem latitudinem, quam res viles et ordinariæ; sit exemplum hujus differentiae: Vinum valet 3, potest emi 4. et 6; si valet 10, potest emi 8. et 12: si centum, 95. et 105. Hoc pro rebus ordinariis; sed loquendo de rebus extraordinariis, et magni pretii villa quæ v. g. vendita est 20. millibus, potest emi 12. millibus (1). Advertendum 3. quod si in pretio adest læsio *ultra dimidium*, pars læsa potest rescindere contractum in judicio: sed si infra dimidium, altera pars etiam tenetur in conscientia ad damnum reficiendum usque ad pretium justum. Attamen si utraque pars justum pretium ignoraret, tunc justum est illud de quo conventum est (2). Advertendum denique, quod communiter non præstatur fides vendentium mendaciis; quare plerumque hi ad restitutionem non tenentur, si pretium non excedit supremum, aut nisi adverterent, quod emptores sibi fidem præstiterint (3).

173. Notandum VII. pretium augeari aut ob ementium concursum, aut ob mercium penuriam. Et ita contra minuitur, vel ob defectum ementium vel ob mercium copiam. Hæc regula debet præcipuo modo attendi in multis quæstionibus resolvendis, quæ postea movebuntur (4). Notandum etiam hic quod communis existimatio regionis, ubi res existit, reddit justum quodcumque pretium (5).

174. Notandum VIII. quoad emptorem, posse eum minoris infimo emere rem quæ sibi parum comoda est, vel si in vendentis gratiam

(1) N. 804. — (2) l. 3. n. 805. et v. quod si. — (3) ib. v. Hic etiam. — (4) N. 801. v. Notandum 2. — (5) N. 808. notandum autem 1.

emit. Quare dicunt aliqui merces ultroneas decrescere pretio usque ad dimidium; sed probabilius juxta communem sententiam usque ad tertiam partem. Ratio cur merx ultronea decrescit, est quia in hujusmodi venditionibus est magis infrequens ementium numerus (6). Et propter eandem rationem qui emit multa simul, potest pariter emere minoris infimo (7). Contra venditor non potest vendere plus supremo et 30, quia res esset utilis, aut in nimio desiderio emptori (8). Enimvero potest quid amplius exigere, si alii interveniant tituli, nimirum i. si fiat cum ejusdamno, aut lucro cessante (modo de hoc moneatur emptor); et hoc licet adsit taxa pretii, et licet venditor ipse offerat vendere; 2. si venditor peculiari animo erga rem, quam vendit, affectus sit (9); 3. si sint res raræ, ut gemmæ, picturæ, feræ, et id genus. An autem hæc possint vendi quanti plurimi? probabile est, posse; sed probabilius negatur; nisi sit usus mulieris honestæ (10); 4. si res vendatur minutim ratione majoris incommodi quod adhiberi debet, et ratione detrimenti (quod vulgo dicitur Sfraudo) quod perferri solet (11).

175. Notandum IX. quod bona quæ veneunt sub hasta, aut quæ per venditricem circumferuntur vendendæ, possunt vendi, et emi quocumque pretio quod pacisci possunt ipsi; *L. 2. c. de rescind. vend.* dummodo absit fraus, sive ex parte vendentis, v. gr. si celaret rei vitium, aut fictos emptores introduceret: aut ex parte emptoris, si dolo, minis, aut precibus importunis impediret alios offerentes (12).

176. Hic dubitatur i. an possit precibus simplicibus effici, ne alii offerant? Alii negant, sed communissime alii id permittunt, Tournely Lugo

(6) N. 802. — (7) Ibid. in fin. v. 2. Emptor. — (8) N. 806. — (9) N. 807. et v. quæ. 4. — (10) l. 3. n. 808. — (11) N. 809. — (12) N. 808. v. Notandum 2.

Salmant. Castropal. p. Nav. Vega Tapia Conrad., etc. (1).

177. Dubitatur 2. an emptor possit cum aliis conventionem facere, ne plus offerant? Hic casus apud dd. parum a dd. invenitur discussus. Diani (2) cum p. Navar. et aliis videtur id permittere, quoties obtulit justum pretium, saltem infimum quanti res valet. Sed ego cum de Lugo (3) et aliis doctis, quos consului, puto oppositum, casu quo res exponitur sub hasta ex iudicis sententia; ratio est, quia cum vendens tunc teneatur rem dare plus offerenti, injustitiam ei irrogat emptor, si offerendo pretium tantum infimum, aut etiam medium, impedit vendentem, quominus speret medium, aut supremum ad quod habet jus, nimirum ne impediatur illud consequi: nam sicut vendens, si alius offerens desit, est in periculo rem tradendi minori pretio, et etiam infimo minore, ita contra æquitas exposcit, ne defraudetur spe consequendi pretium majus, si forte occurent plures offerentes, qui amulatione augent pretium. Hoc exposcit æquitas, et hoc videtur exposcere jus licitationis.

178. Notandum X. quod præcise ob dilationem, aut solutionis anticipationem, non potest pretium augeri, nec minui: nisi interveniret alius titulus periculi, aut damni, aut lucri cessantis, de quibus titulis semper monendus est emptor, ut dictum est n. 149. Et hic advertendum quod mercatores vendendo carius pecunia expectata, difficulter excusantur ob solum titulum lucri cessantis; quia vendendo dilata solutione, majorem mercium copiam distrahunt; et ita restauratur lucrum quod eis cessat ob

(1) Ita Tourn. tr. de contract. p. 2 c. 1. art. 4. concl. 1. v. Quæres denique. Lugo de contr. d. 26. n. 45. Salm. eod. tit. c. 2. n. 58. cum Palao, Trull. Tap. Dian. p. 1. tr. 8. R. 76. cum p. Navar. Reg. Vega. Contr. et Arriag. et 1. 3. n. 808. v. Sed dub. 4. — (2) p. 4. tr. 8. R. 86. — (3) Disp. 26. n. 45. in fin.

dilationem (4). Potius excusare potest titulus communis existimationis; quæ probabiliter reddit justum pretium hujusmodi venditionum dilata solutionis, ut dicunt Lugo Less. Cano Mol. Tolet. Sanch. Castrop. Bonac. et Salm., quia in hujusmodi venditionibus adest major copia emptorum et minor numerus vendentium; et quia semper inest periculum commune attendi sortem. Et idem dicunt de emptoribus, qui anticipate solvendo pretium minus exhibent, quia in hujusmodi emptionibus adest copia vendentium, et inopia emptorum, et etiam aliquod periculum rem non habendi, aut saltem non habendi juxta optata (5).

179. Et eadem ratione inducti probabiliter dicunt Nav. Cajet. Sanch. Tourn. Anacl. Azor. Lugo cum s. Bernardino Senensi et aliis, quod chirographa, licet sint liquida, possunt minoris emi, quia aliud est habere pecuniam, aliud est emere actionem ad illam, quæ actio communiter existimatur minoris, quia hæc actiones in praxi non sunt immunes ab aliquo periculo exactionis, aut saltem molestiæ et expensæ. Dico tamen excipienda esse chirographa quæ vulgo nuncupantur *fides crediti*, pro quibus nullum morale periculum adest: modo ob distantiam, incommodo aut periculo sibi non esset exactio, propter eum qui ad exigendum mittendus est (6).

180. Notandum XI. quod pactum de retrovendendo est licitum, cum debita conditione interveniant, nempe. 1. ut diminuatur pretium, quod decrescere potest usque ad quartam partem: imo alii dicunt usque ad tertiam: et tunc utique valet pactum, ut emptor teneatur retrovendere eodem pretio, licet rei pretium augeatur; 2. ut rei periculum sit penes emptorem; 3. ut fundus retrovendatur cum fructibus aut sine, ut reperitur cum traditur (7).

(4) Lib. 3. n. 810. (5) n. 841. — (6) n. 829. — (7) N. 812.

181. Ita etiam juxta sententiam probabiliorum Less. Lugo Molin. Castropal. Silv. p. Navar. Bonac. Azor. et aliorum licitum est pactum de reemendo rem ad emptoris requisitionem cum sequentibus conditionibus, nimirum 1. ne adsit animus usurarius; 2. ut augeatur pretium prioris venditionis; 3. ut venditor non teneatur ad reemendum eodem pretio; sed si res deterior fieret, debeat solvere tantum quanti valet tempore reemtionis; et contra si res crescit, crescit vendenti. Et hoc modo illa est vera emptio, non autem mutuum, ut supponunt adversarii; dum interim quo res non redimitur, periculum ad emptorem spectat, quod secus est de mutuo (1).

182. Contractus, qui *mohatra* nuncupatur, est certe illicitus, ut constat ex propos. 40. ex damnatis ab Innoc. XI. Hic contractus fit cum quis vendit cum pacto expresso aut tacito, ut res sibi minoris retrovendatur (2). Ita pariter est illicitus et usurarius contractus, qui *antichrises* dicitur, vulgo *a godere*, nempe quando quis aliquem fundum frugiferum dat fructioni alteri, et hic dat illi pecuniam etiam fructioni (3).

183. Notandum XII. prohibitum esse *monopolium*, cum his duobus sequentibus modis fit, nimirum: 1. quando quis impedit quomimur alia merces in regionem introducantur, ut ipse solus vendat suas cum civium damno; 2. quando unus aut plures emunt omnes merces, ut eas vendant pluris pretio supremo, quam in foro venderentur, nisi monopolium factum fuisset. Ceterum si quis aut plures emunt merces, postquam cives jam sufficienter sibi comparaverunt, ut eas vendant lucro aliquo moderato, hoc utique licitum est, ut communiter docent dd. Et probabiliter dicunt Lugo Med. Less. et Holzmann, quod hujusmodi mercatores non pec-

(1) N. 843. — (2) Ibid. v. Nota hic. — (3) Vide Salm. tr. 44. c. 3. n. 46. — (4) Lib. 3. n. 844. 845. et 846.

carent contra justitiam, si venderent pretio supremo, et ne contra charitatem quidem, modo non inducerent alios ad vendendum carius (4). Unde fit, quod si inter se conspirarent de non vendendo nisi supremo pretio, licet probabile sit cum Less. Viva Lugo Holzmann. Molin. Bonac. Salmant. etc., (contra Tourn. Spor., etc.) non peccare contra justitiam: nihilominus non possunt excusari a peccato gravi contra charitatem, ut certum est apud omnes (5).

184. An autem factio monopolio injusto inter aliquos vendendi pretio supremum excedente, licitum sit aliis eodem pretio vendere. Admittunt Salmant. cum Bonac. Med. et aliis, dicendo quod illud pretium jam factum est commune. Sed hæc opinio reprobata a Rebel. Tapia Dicast. et Concina, mihi revera non placet; quia tale pretium ex injustitia adactum semper injustum est; nec debet teneri pro justa æstimatione, quæ ab injustitia ortum habuit (6).

185. Notandum XIII. loquendo de vitio rei quæ venditur, vitium posse esse circa substantiam, circa qualitatem, et circa quantitatem. Si vitium est circa *substantiam*, aut contractus nullus est, aut deceptor debet restituere damnum, licet a parte sibi condonare fecisset excessum pretii injusti (7). Et hic notandum, quod si res est perfectior ea, quæ venditur, illa præter injustitiam potest vendi pretio communi, licet sit admixta alia re deterioris conditionis; prout esset vinum cum aqua modo emptor illud non emat ad conservandum, quia vinum cum aqua, commixtum facile corrumpitur. Idem dicunt de pharmacopoliis qui minoris vendunt unum pro alio; modo illud sit certe æqualis utilitatis, et minuatur pretium; ita Sotus Lugo et Salmanticenses (8).

186. Si vitium est circa *quantitatem*, etiam damnum reficiendum est; sed si unquam taxa esset injusta, aut

(5) N. 847. — (6) Ibid. v. Sed hic. — (7) N. 849. — (8) N. 820. Dub. 4. et n. 821.

injustum pretium ob monopolium emptorum, tunc non est improbabile, ut dicunt Lugo Laym. Castr. Salm., etc. vendentem posse uti mensura tantum manca, quantum ad pretium justum, infimum tamen dumtaxat, perveniat (1).

187. Si vitium denique est circa *qualitatem*, tunc oportet distinguere: quando vitium est patens, non adest obligatio illud manifestandi, et vendente illud non manifestante, contractus est validus: modo illi non constet ignorantia emptoris, et modo qualitas non transeat in substantiam, prout esset, si emptor suam manifestasset mentem, se nolle illam rem nisi cum tali qualitate. Si autem vitium est occultum, tunc certe vendens tenetur illud patefacere, modo non se protestetur vendere, ut communiter dicunt, *ad saccum ossium fractorum*; et prout, tali protestatione omissa, communiter practicatur in nundinis; advertendum tamen, quod tunc non potest res vendi ultra pretium supremum, cum ratio vitii occulti habenda sit (2).

188. Dubitatur an quis possit vendere pretio corrente rem, quam scit brevi minoris valituram. Est valde probabile, quod licite possit, ut communissime dicunt Cajet. Less. Soto Castrop. Tournely Salmant Bonac. cum s. Thoma (adversus aliquos), quia in venditione non attenditur pretium futurum, sed præsens, quod existimatur non juxta notitiam particularem, sed juxta existimationem communem. Et ita pariter licitum est emere merces pretio corrente, licet noscatur notitia particulari brevi pretium auctum iri. Et eum qui ita vendit, probabiliter dicunt Less. Bonac. Tourn. Ronc. et Salm. ne peccare quidem contra charitatem, nisi esset quia ex hoc emptor in gravem necessitatem conjiciendus esset, aut si cum vendere posset illi qui statim rem consumpturus esset, vellet vendere ei qui eam conservaturus esset.

(1) N. 822. — (2) L. 3. n. 822.

Advertendum tamen hoc procedere cum pretii accretio, aut imminutio notitia privata noscitur, nam si notitia esset communis, jam pretium ex se variatur (3).

189. Notandum XIV. quod qui recipit ad vendendum res pretio designato, nequit sibi retinere plus quod ex ea percipit, licet in loco remotiori, et labore majore venderet; nisi tamen esset 1. quia talem extraordinariam diligentiam adhiberet, pretium cujus corresponderet lucro percepto; 2. si ipse rem melioraret, 3. si lucrum esset parvi momenti; 4. si tacite convenerit cum domino, nihil amplius ei dare; præter designatum pretium, ut si dominus nullam ei assignasset stipendium; 5. si facta diligentia ordinaria, ipsemet proxeneta sibi emeret rem pretio designato, et postea illam majore pretio venderet. Et idem dicitur relative de eo, cui commissaria fuisset emptio alicujus rei (4). Sartores qui se offerunt ad emendos pannos, non possunt exigere plus pretio quod solvunt, nisi esset quod mercator ipsis revera ob peculiarem amicitiam, aut quia suam officinam frequentant, remitteret aliquid ex pretio communi (5).

190. Notandum XV. rei duobus venditæ ab eo acquiritur dominium cui tradita est post pretii solutionem, aut post datam fidem pretii, ut dicitur est n. 167. Sed si is mala fide emeret, sciens quod alteri jam vendita erat, tunc tenetur reddere eam primo emptori, ut communiter dd., sed non ante sententiam; nisi esset 1. quod ipse induxisset venditorem ad sibi rem vendendam; 2. si primus emptor esset locus pius, minor aut universitas; 3. si ipse esset donatarius, quia tunc tenetur eam restituere emptori, si eam petat intra annum. *L. I. ff. quæ in fraud.*, etc. (6).

191. Notandum XVI. rem venditam, si est determinata, nempe talis (3) N. 824. v. 42. Ets. — (4) N. 825. v. quær. et Bene autem. — (5) Lib. 2. n. 826. — (6) N. 827.

domus, tale dolium, etc. quando perit, perire emptori; modo venditor non fuerit in mora ad tradendam rem. Sed si non est determinata, v. gr. decem oves ex hoc grege, aut determinata tantum ad mensuram, ut hoc vini dolium tanti in singulos cados, tunc ante mensurationem, aut traditionem res perit venditori; ita ex *L. Lector, ff. de peric.* Sed incrementum, aut decrementum rei spectat ad emptorem, ut dicunt Less. Bonac. Salm., etc. (1). Cum autem res est jam tradita, ejus periculum spectat semper ad emptorem, licet pretium non sit solutum, nec præstita sit fides, ut superius diximus n. 169.

PUNCTUM VI.
DE NEGOTIATIONE.

192. Cui prohibita sit negotiatio; et quando est culpa lethalis; et si clericus negotiatur per alios, aut alii.

193. Emere pecora pro suis pascuis, etc.

194. Vendere pluris, ut emat minoris. Emere lanam, etc. si fit per necessitatem.

195. An clerico liceat esse tutor, factor, etc.

192. Negotiatio proprie dicitur, cum aliquid emitur animo illud idem non mutatum carius vendendi. Hæc sub gravi vetatur Religiosis, et clericis in Sacris constitutis: secus vero minoristis, nisi essent beneficiati, ut dicunt communiter dd. ex *can. Placuit* 3. q. 26. (2). Peccat ideoque graviter clericus, vel monachus qui frequenter negotiatur, licet præciso scandalo, et quamvis in materia non turpi, nec gravi, ut dicunt Lessius Lugo et Salm. cum aliis (contra paucos). Quamquam excusantia mortali, si hoc fieret bis aut ter in materia non gravi, aut semel in gravi (3). Et ita etiam eum excusant Laym. Cast. Salm., etc. si per alium negotiaretur, modo (ut dicunt Lugo, et Salmant.) ejus superintendentia non esset nimia (4). Contra declaravit Bened. XIV. in *Bulla Apostolica*, quod ille cleri-

(1) N. 828. — (2) Lib. 3. n. 831. — (3) Ibid. v. Non peccat. — (4) n. 833.

cus qui aliis negotiatur, incurrit easdem pœnas, ac si sibi negotiaretur: nisi esset quia negotium, jam a laicis inceptum, non posset sine detrimento dimitti; nam tunc potest clericus illud prosequi, sed solum ad tempus, et per interpositam laici personam, et de licentia S. C. (5).

193. Non est vetitum clerico emere pecora, ut in propriis pascuis saginata vendat, aut ut vendat partus eorum, lanam, etc.; hoc est commune cum Less. Lugo, Layman. Ronc. Castrop. et Salm. Sed dicimus non esse licitum pascua aliena conducendo hoc facere, cum vetitum sit a Concilio chalcedon. (*in cap. Pervenit*. 21. q. 3.) pascua aliena conducere, ut vendat fructus. An autem liceat pascua aliena conducere ad saginanda propria pecora, et hæc vendere; negant Laym. et Sporer; sed affirmant Salm. et Viva, modo absit scandalum; et hæc opinio mihi videtur valde probabilis, dum hoc non reperitur ulla lege vetitum (6).

194. Licitum est vero clericis carius vendere, ut emant minoris. Et ita etiam licitum est vendere aliquid carius, cum emptum sit non animo vendendi, sed conservandi illud. Item etiam licet emere plura pro securitate suæ provisionis, et postea superfluum vendere. Insuper emere colores ut vendant picturas, et lanas ut vendant pannum, modo non conducantur alii operarii ad hoc efficiendum, ut dicunt Lugo Salmant. Mol., etc. (7). Præterea licitum est clerico etiam negotiationem proprie dictam exercere, quando hoc expediret pro sua, et suorum sustentatione, ut habetur ex *c. Multa ne cler. vel mon.* Et pro hoc satis est gravis necessitas conservandi statum decentem, prout probabilius, et communius dicunt Castrop. Spor. Croix et Mazzotta contra Laym. qui admittit solam vitæ sustentationem (8).

195. Vetitum est clerico agere tu-

(5) N. 832. — (6) N. 835. — (7) N. 836. — (8) n. 837.

tozem, tabellionem, aut exercere qualemque officium publici ministerii, propter quod teneatur reddere rationes administrationis. Et si quis clericorum aliquod prædictorum officiorum exercuerit; ipse non poterit ordinari, donec rationes non reddat, aut saltem præstiterit fidejussionem. Sed hoc non intelligitur de administratione locorum piorum, pupillarum, et viduarum. Item vetitum est clericis personæ secularis procuratorem gerere; hoc tamen procedit in casu, (ut dicitur in c. *Sed nec 4. ne cler. vel monac.*) quo ut clericus eo fungatur officio, negligere debet proprium ministerium ecclesiasticum: *Si quis ab ecclesiastico (sunt verba textus) fiat ministerio alienus, pro eo quod, officio clericali neglecto, fluctibus seculi se immergit; et eo casu clericus incurreret etiam suspensionem a suo officio, sed ferenda sententia.*

PUNCTUM VII.

DE CENSU.

196. Quid sit census.
197. *Conditiones requisitæ a Nicolao V.*
198. *Conditiones requisitæ a S. Pio V.*
199. *An liceat census personalis.*
200. *An liceat census redimibilis ex parte emptoris.*
201. *An pereunte fundo pereat census.*
202. *An possit constitui censu pecunia antea debita.*

196. Contractus censu, aut venditionis annuorum reddituum, est cum quis pro certa summa (v. g. 100) exigit quotannis quinos, senos, etc. in centenos ex aliquo fundo fructifero. Hic contractus est licitus, modo debita circumstant conditiones; nam est vera emptio, qua qui dat pecuniam emit non jam pensionem, sed jus ad percipiendam partem fructuum fundi (1).

197. Quoad autem conditiones, in Bullis Nicolai V. et S. Pii V. appositas, sciendum quod in illa Nicolai V. (quæ in nostro regno neapolitano viget in observantia) requiritur I. ut

(1) Lib. 2. c. 839.

census constituatur super re certa in specie; et generaliter super aliis bonis: 2. ut adsit pactum retrovendendi eodem pretio; 3. ut pensio non excedat denos in centenos (2).

198. In illa S. Pii V. requiritur I. ut census sit super re stabili et fructifera: et sufficiat ceteroquin officium perpetuum, aut alius census; 2. ut pretium sit de pecunia numerata; 3. ut adsit pactum anticipate solvendi pensionem; 4. ut non obligetur venditor ad substituendum alium fundum, si pereat obligatus; 5. ut venditor non privetur ab alienando fundo hypothecato; 6. ne conveniatur ad solvendam aliquam penam, aut interesse ob lucrum cessans, si pensio non solvatur; 7. ne novus creetur census de pensionibus non solutis; 8. ne emptor suo arbitrio possit repetere pretium; et ut venditor possit semper redimere censum: ceterum de jure naturali est sententia communissima posse pacisci ut census sit irredimibilis; 9. ne census vendatur aliis pluris, vel minoris, nisi esset quia census evaderet non liquidus (3). Sed circa Bullam S. Pii V. advertunt communiter auctores, illam non fuisse receptam in pluribus regnis, nimirum in utraque Sicilia, in Hispaniis, in Germania, in Galliis, in Belgio; imo Continuator Tourn. affirmat nec Romæ observari. Et ubi recepta non est, sententia communis est, quod non obligat (4).

199. Dubitatur autem I. an liceat census personalis? Alii negant sed multi graves aa. probabilius et communius affirmant, loquendo quoad jus naturale; ita Sotus Less. Merbesius Tournel. Hab. Wigandt Castr. Rone., etc., quia sicut in censu reali emitur jus ad percipiendos fructus a fundo, ita in personali emitur jus ad percipiendos fructus ab industria et labore alicujus jam addicti tali officio, v. g. pictoris, mercatoris, etc. (5).

(2) N. 845 — (3) N. 846. et 847. — (4) N. 849. — (5) N. 840.

PUNCTUM VIII.

DE CAMBIO, LOCATIONE, EMPHYTEUSI FEUDO ET LIBELLO.

203. *De cambio, et ejus speciebus.*
204. *Qui recipit monetam falsam*
205. *De locatione*
206. *De successione locatoris.*
207. *In casu sterilitatis, etc.*
208. *An possit conduci jus mendicandi.*
209. *Si tabellarius eodem proficiscatur duorum mandata executurus an ec.*
210. *An debeatur salarium famulo agrotanti.*
211. *De emphyteusi.*
212. *De feudo.*
213. *De libello.*

203. Cambium est contractus, quo campsor cambit pecuniam campario cum lucro aliquo præter sortem. Et quadruplex est: minutum, per litteras, reale, et siccum. *Minutum* (sive *manuale*) licitum est, et fit cum pecuniæ minores pro majoribus, vel contra dantur. Pariter licitum est cambium *per litteras*, et hoc fit, cum campsor recipit pecuniam a campario, ut eam alibi solvat. Solutio autem pro tali cambio ex constitutione S. Pii V. non est differenda ultra tempus statutum. *Reale* contra est cum campsor dat pecuniam, ut postea eam alibi recipiat a campario per hujus procuratorem; et hoc est licitum. *Siccum* denique (sive *fictum*, ut etiam appellatur) est cum tantum fingitur locus diversus ubi solutio facienda esset, et interim campsor exigit lucrum: hoc proculdubio est illicitum (4). Ad hanc cambii speciem reducitur etiam cambium vulgo *colla ricorsa*, quod (ut paucis comprehendam) est cambium cum duplici fictione (5). Cambium *francofurtense*, nempe cum mercatores dantes cambium ad proximas nundinas, quo magis ea distant, eo plus exigunt, est licitum, modo revera intercedat titulus lucri cessantis pro mercatore (6).

204. Advertendum quod si quis casu recipit monetam falsam, non potest recipere eam. — (5) n. 854 v. quær. hic. — (6) Ibid. v. 5. Quod attinet.

Dictum est, jure naturali spectato, nam juxta Bullam S. Pii paulo ante allatam requiritur (ubi acceptata est) omnino fundus stabilis.

200. Dubitatur 2. an liceat sic contractus si conveniatur, ut census sit redimibilis non solum ex parte venditoris, sed emptoris? Alii ut Lessius Laym. Castropal., etc. admittunt illum, modo observentur conditiones quas alibi (n. 181.) recensimus pro pacto reemendi fundum. Sed alii, ut Sotus Covar. Salmant., etc. negant, et hæc sententia proculdubio suadenda est, dum omnes conveniunt quod in tali contractu adest periculum saltem intentionis usurariæ (1).

201. Dubitatur 3. an præcisa Bulla S. Pii, pereunte fundo sine culpa venditoris, pereat etiam census? Negant Salmant. Sot. Castrop., etc. dicentes quod in tali casu tenetur venditor ad substituendum alium fundum. Sed nos oppositum tenemus cum Lessio Lugo Rone., etc., quia in contractu census non jam principaliter obligatur persona, et accessorie res (uti supponunt adversarii), sed res tantum, cum vendatur jus super illius fructibus: unde pereunte fundo, nihil amplius debetur. Et hinc dicimus quod, licet sit licitum pactum solvendi pensionem (modo sit diminuta) etiam annis sterilibus; non licet tamen pactum eam solvendi etiamsi fundus pereat (2).

202. Dubitatur 4. an possit constitui census de pecunia quam prius venditor debebat emptori? Spectata Bulla S. Pii non potest, quia ibi requiritur pecunia numerata. Sed loquendo *de jure nature*, non est improbabile quod possit cum Navar. Less. Valent., etc. cum census habeat rationem eandem, quam quælibet alia emptio, quæ utique potest fieri cum pecunia quæ ei debetur (3).

(1) N. 843. v. quær. — (2) Lib. 3. n. 847. — (3) N. 846. ad 2. v. Ut census.